



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Vincentii Brvni, Societatis Iesv, Meditationes, De
Præcipvis Mysteriis Vitæ & Passionis D. N. Iesv Christi**

Cum Veteris Testamenti Figuris, & Prophetijs, varijsque Documentis ex
quoque Euangelio depromptis, Nunc ex Italico in Latinum translata

Bruno, Vincenzo

Coloniae Agr., 1599

VD16 ZV 2606

9. De fuga Christi in Ægyptum, eiusdemqúe reditu in Iudæam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59868](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59868)

9. Anna prophetissa semper erat in templo, seruiens Deo in castitate, in cōtinuis obsecrationibus, & crebris ieiunijs. Deus mysteriorum vel cœlestium consolationū suarum non reddit participes homines mundanos & carnales, sed qui omnibus huius mundi voluptatibus renunciant, carnem suam mortificant, & sanctis diuini seruitij officijs se occupant.



DE FVGA

CHRISTI IN AEGYPTVM, EIVSQUE REDITVM IN IVDÆAM.

MEDITATIO IX. EVANGELIUM.

ANGELVS apparuit in *Matt. 2.* somnis Ioseph dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum, & esto ibi vsq; dum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad per-

F 6 den

dendum eum qui confurgens accepit puerum & matrem eius nocte & secessit in Aegyptum, & erat ibi usque ad obitum Herodis, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem. Et in Aegypto vocavi filium meum. Tunc Herodes videns, quoniã illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mitens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehè, & in omnibus finibus eius à bimatu & infra secundū tempus, quod exquisierit à Magis. Tunc adimpletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israhel, defuncti sunt enim qui querebant animam pueri. Qui confurgens accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israhel.

Au-

CH
Audien
gnaret
suo, tim
somnia
Et ven
vocat
quod d
niam N

1. I
abijt in
& ind
2. M
quasit
rao in
tricib
Hebra
ficeren
3. i
cur au
gia sol
saluus
gis ab
4.

Audiens autem quod Archilaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illò ire, & admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. Et veniēs habitavit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt adimpleretur quod dictū est per Prophetas, Quoniam Nazareus vocabitur.

FIGURÆ.

1. **I**ACOB persecutionem passus Gen. 27.

Ab Esau, fugit, & peregrinatū abiit in Mesopotamiam, donec furor & indignatio fratris sui quiesceret.

2. Moyses, à Pharaone ad eadem Exod. 2.

quæsitus, fugit in terrā Madian. Pharaon timens Hebræos mandauit obstertricibus, vt omnes infantes masculos Hebræorum mox post partum interficerent. Exod. 1.

3. Attalia ex cupiditate regnandi 2. Reg. 115.

curauit occidi omnes filios stirpis regie solus autem Ioas minor filius regis saluus euasit, quem Iosaba soror regis absconderat.

4. Dixit Dominus ad Moysen. Va Exod. 4.

F 7 de

134 MEDITAT. DE VITA
de & reuertere in Aegyptum, mo-
tui enim sunt omnes, qui querebant
animam tuam.

PROPHETIÆ.

Esa. 19.

1. **E**CCE Dominus ascēdet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulachra Aegypti à facie eius.

Esa. 29.

2. Et cognosceat Dominus ab Aegyptia, & cognosceat Aegyptij dominū in die illa.

Hier. 31.

3. Vox in excelsis audita est lamētationis, luctus & fletus Rachel, plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.

Ose. 11.

4. Ex Aegypto vocaui filium meum.

CONSIDERATIONES.

Punct. I.

CVM deuotissima virgo MARIA diuinæ legis præcepto obsecuta fuisset, & iam in Nazareth cum dilecto filio, & sponso Iosepho rediisset, vbi sperabat se inter amicos & cognatos cum quiete aliqua & solatio victuram, ecce media nocte, cum securi & omnis timoris expertes obdormissent, apparet angelus Domini Iosepho, eūque monet, Herodem querere puerum ad perdendum eum, proinde acciperet puerum & matrem eius, & fugeret in Aeg-

CH
Aegyptu
cito inci
ac peregr
ne longe
quid n
mundo
ta tua,
Bene dix
do: nam
dem, in
que fuit
& præse
reclinar
vero vix
mo è vi
tam ten
tam cap
rat, quic
matura
diuinæ
de pecca
2. C
seph po
non tue
lus, au
lo respō
fantulū
& iam
saluare
santo la

VITA
tum, mor-
querebant
super na-
lietur &
mulachis
Egypti
n die illa
mēt atio-
rantis f-
asper est
eum.
ES.
ARIA
bscuta
m dile-
edijset,
cogna-
victu-
ecuri &
nissent,
o, cū-
uerum
eiperet
geret in
Egy-

CHRISTI. PARS I. 135

Ægyptum. O benedicte I E S V, quàm
citò incipis pati persecutiones & exilia,
ac peregrinus pro nobis fugis in regio-
nē longē remotam & incognitā. Heu
quid mali, quid incommodi intulisti
mundo, vt tam citò minas intentet vi-
tæ tuæ, & tantas in te excitet tēpestates;
Bene dixisti, odio te habendum à mun-
do: nam in aduentu tuo ne locum qui-
dem, in quo nasci possēs, indulst; opus
que fuit, vt animalia tibi suum stabulū
& præsepe, in quo tenera tua membra
reclinare possēs, accōmodarent. Iam
vero vix natū conatur te à se eijcere, i-
mo è viuis tollere. Et si in hac ætatula
tam tenera, qua nōdum loqui cœpisti,
tam capitalem inimicum se tibi decla-
rat, quid faciet, quando eum iam ætate
matura, sermonis efficacia, mirificisq;
diuinæ cōuersationis signis & exēplis
de peccatis, & iniquis operib⁹ coargues?
2. **CONSIDERA**, quomodo Ioseph
post factam tibi reuelationem,
nō fuerit aut diuino oraculo incredu-
lus, aut nouitate nunciij offensus ange-
lo respōderit: Tu paulo ante dixisti in-
fantulū hunc saluaturum populū suū,
& iam in præsentī periculo non potest
saluare seipsum, nā si possēt, quid opus
tanto labore, tā lōginqua profectio-
ne?

Ioan. 13.

Ioan. 7.

Ni-

Nihil horum dixit; sed, ut erat homo
 fidelis, nec sapere volebat plus quam
 oportet, promptè obediuit, totamque
 rem mox B. Virgini, uti erat ab Ange-
 lo exposita, patefecit. Vbi cogita quo-
 modo hoc nouo nuncio primum com-
 mota sint Virginis viscera; deinde
 quomodo, ut erat obedientissima, se
 collegerit, & de salute filij sollicita sine
 mora se ad iter compararit. Considera
 quanto dolore pia Mater cogatur in-
 fantulum adhuc dormientem tollere
 è lectulo, nec dubium quin mox illo
 ex intempestiua excitatione grauiter
 plorante, illa quoque ad lacrymas com-
 mota fuerit, partim ei cōpatiēdo, par-
 tim considerans has esse contradic-
 tionum, dolorumque primitias, quas san-
 ctus Simcon illi prædixerat. Ad hæc,
 quod, quæso solatium Virgini iuuen-
 culæ esse poterat, in tenella ætate, pa-
 tria domo & solo excedere, & in regio-
 nem longinquam, per vias inuias & i-
 gnatas defugere? Quidnam minus de-
 cens vel conueniens esse potuit, quam
 per tam longa itinera, horrida deserta,
 mille discrimina in brachijs ferre te-
 nerum illum & innocentem puerulū,
 habitare cum tanto in commodo in a-
 licna terra, inter gentes barbaras, vbi
 neque

CH
 neque de
 nec alia
 dum &
 nim inte
 it quam
 lum coll
 barbaro
 obsequ
 Domini
 deuouet
 lium ho
 difficult
 it esse v
 de felici
 illi man
 comital
 suis por
 3. E
 quoque
 te rege
 illum a
 gienter
 in tam
 ram ali
 senem
 dine ei
 necessi
 ge te q
 roga B.
 deport

neque domus suppeteret, neque lectus, nec alia ad filium benedictum alendum & conseruandum necessaria. Si enim inter ciues suos non aliud obtinuit quàm stabulum, & præsepe in quo illum collocaret, quid obtinebit apud barbaros & infideles? Verum promptè obsequendi desiderium, & eximia in Dominum fiducia, cuius se voluntati deuouerat, fecit, vt magno animo exilium hoc susceperit, omnesque vicerit difficultates. Quæ enim causa illi potuit esse vel timendi, vel non confidendi de felici exitu, si Deus erat, qui hoc iter illi mandabat, si Deus eam abeuntem comitabatur, imo si ipsa Deū brachijs suis portabat?

3. E I A ergo anima mea euigila tu quoque, & oculis lachrymantibus aspice regem gloriæ, & mansuetissimum illum agnum lupi rapacis insidias fugientem. Vide sanctam Virgunculam in tam tenera ætate abeuntem in terram alienam & peregrinam, ac sanctū senem Ioseph magna cura & sollicitudine circum curstantem, & vtriusque necessitatibus prospicientem. Adiunge te quoque comitem in hac via, & roga B. Virginem, vt te oneris sui, in deportando dulci filio velit facere partici-

138 MEDITAT. DE VITA

ticipem. Et si forte assenserit, perpe-
de tecum, ipse qui soles fugere labores
& quærere quietem, quanto vultus
sudore, quanta afflictione corporis
angore mentis, deferens in brachi-
pretiosum thesaurum B. Virgo tan-
longam peregrinationem absolvens
Quo studio cauerit ne puerulus vel
urno æstu, vel frigore aut pruina no-
sturna læderetur. Deniq; quanta anse-
ritate vitæ, cum sæpè panis ad victum,
sæpè aqua ad potum deesset, viam illi
percurrerit. O quoties nocturnis obru-
ti tenebris, nulla in desertis illis locis re-
perta habitatione, vel etiam, qua rige-
rètur, arbore, coacti sunt humi sub pa-
tenti cælo dormire, & huius lecti duri-
tie fessis corporibus, maximè autem pu-
erulo IESV, potius afflictionem, quam
requiem, afferre.

4. CONSIDERA, quomodo fugiat
Dominus tuus, & nocte fugiat, & fugiat
in Ægyptū. Nō sanguinolentus Hero-
dis gladius, sed lethalis nostrorū pec-
catorum gladius Christum fugauit, hic
Christū quodammodo è patria cælesti
expulit. Imò immensus ille amor, quo
in nos ferebatur, desiderium salutis
nostræ cum de cælo detraxit, ad pere-
grinationem in huius tenebrosi sæcu-
li

li Aegypto faciendā. Fugit itaq; Saluator, vt nos reuocaret ab exilio & patriæ caelesti restituere: fugit noctu, & in Aegyptum fugit, vt præsignificaret fidem sanctam, verumque Dei cultum è Iudæa exulaturum, & populo illo nocturnis incredulitatis tenebris obruto, migraturum ad gentes. Voluit quoque Deus filium suum ire in Aegyptum, vt post tot flagella olim isti populo inflata, filius nunc illis esset pacis & amicitiae symbolum, vnaque medicina omnes decem Aegypti plagas curaret. O mutatio dexteræ excelsæ, vt ij, qui quondam acerrimi persecutores fuerant populi primogeniti Dei, nunc fiant vnigeniti eius filij custodes & patroni. Fugisti denique, ô bone IESV, à facie impij Regis, & pendens adhuc è mammillis maternis, imitatoribus tuis, instar boni Magistri lectionem patientiæ, non verbis, sed exemplo prælegisti, adimplendo in te, tuæque piæ mætre, quod postea docuisti, dicens. *Cum vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliam.*

Esa. 4.
Matth. 4.

Math. 11.

5. CONSIDERA deinde, B. Virginem; vbi in Aegyptum peruenit, non ibi inuenisse paratum, aut regium palatium tanto filio dignum, aut copiam

140 MEDITAT. DE VITA
copiam thesaurorum ad artus fessos
refocillandos, sed vt ipsa pauperulae
erat & peregrina, ita & in pauperem ve-
lemque se recepisse domunculam, &
labore manuum suarum vna cum Iosepho
tenuem victum comparauit. Nihil hic
superuacaneum, nihil curiosum videre
licebat, non duplicia nec mollia vestimen-
ta, non suppellectilis copiam, sed vix
aderant necessaria, eaq; vilia & in-
cultata, quæ potius seruibant ad opren-
dam nuditatem, & tuendam vitam,
quam ad commoditatem vel voluptatem
aliquam creandam. Hæc sunt stipendia,
quibus puerulus I E S V S pro
tuis peccatis, vna cum sanctis suis Pro-
genitoribus totos septem annos vixit
in Ægypto.

6. CONSIDERA, quanta cura &
vigilantia B. VIRGO, toto hoc Septen-
nio, dilectum filium suum custodierit,
quanto amore & sollicitudine educa-
rit, qua cautione, quaq; reuerentia con-
tractarit illum, quem sciebat suum esse
Dominum & DEVM; Vnde cogita,
quanta religione eum semper flexis
genibus è cunis receperit, & in illas re-
posuerit; quanta fiducia & autoritate
materna amplexus sit, oscula dederit, &
suauit-

suaui-
 ter pectori sui applicuerit, quan-
 to studio tenera eius membra vilibus
 panniculis inuoluerit, & in omnibus
 necessitatibus ei officiosissimè mini-
 strarit. O quàm libenter illi præbebat
 lac è suis vberibus? quo in officio, inte-
 rim dum lactat panem illum de cælo
 delapsum, manna suauissimum, (quo
 simul ipsa à filio pascebatur) non du-
 biū est, quin præ alijs mulieribus sen-
 serit dulcedinem quandam ineffabilē.
 Similiter cogita, quoties sanctus Senex
 Simeon brachijs suis illum sustinuerit,
 quanta lætitiæ signa dederit in vlnis
 suis illum tenendo, & cibum porrigen-
 do illi, qui erat panis Angelorum. Pos-
 tea **L E S V S** annis crescens, suisque
 paulatim pedib. hinc inde ambulans;
 quàm dulce & iucundum putas, præ-
 buit sanctis parentibus spectaculum
 cum animaduenterent æternum Re-
 gem, qui è cælo totū gubernabat mun-
 dum, in domuncula illa officijs humi-
 libus ac vilibus occupatum? Verū hæc
 tua, ô sacra Virgo, solatia non fuere om-
 niamaritudine vacua: quid enim æ-
 que affigere piū tuum pectus potuit,
 ac tot annis morari inter infideles, a-
 pud quos omnis religio & veri Dei co-
 gnitio exulabat, dominabatur autem
 super

Gen. 13.
2. Pet. 2.

142 MEDITAT. DE VITA
superstitio & cultus dæmonum : D
Sancto LOTH scriptum est, quod na
fandi illi homines, inter quos habita
bat, de die in diem eius animam iustam
iniquis operibus cruciabant: quam
magistu, qui maiori, quàm ille, & ci
ritate & gratia prædita eras, affligi de
bebas, inter similes homines, cum vi
deres tanta ignominia affici Deum, &
tot animas præcipites ruere in infer
num?

7. CONSIDERA, quomodo
Herodes, animaduertens Magos non
reuertere; vel quod suspicaretur eos vi
sione stellæ deceptos præ pudore non
ausos reuertere, vel quod alia forte nego
tia illis inciderint, ab omni inquisitio
ne Christi nati tunc abstinuerit: ve
rum postea crescente per vibem fama,
propter ea quæ in templo acciderant,
susplicari cæperit omninò se à Magis
deceptum; Quare partim ex indigna
tione, quod ab illis esset contemptus,
partim timore amittendi regni, man
davit occidi omnes Bethlehemiticos
infantes, ne euaderet ille, quē tanto pe
rè reformidabat. O beata Bethlehem
terra Iuda, quæ ob toleratam erga filios
tuos impij Tyranni immanitatem ex
corū innocentia & pretiosa morte, ve
lut

CH
lut ex ca
floridū
nati cap
que in
illi inf
ta ætas.
teri Chr
mori pr
ra ad aeg
tamen,
O quan
in quor
ducam
vita. No
tem, &
Vix sub
ad core
peruene
trum, se
rum. N
ranne,
nim fac
nire nor
infantul
iuuare p
uitio .
regio sol
lienām v
vt suam
gaum t

lut ex candidis lilijs, & purpureis rosis
 floridū sertum pro tui Dei & regis in te
 nati capite cōtexere meruisti. Sunt ita-
 que in sinu propriarum matrū tenelli
 illi infantuli crudeliter mortui. O bea-
 ta ætas. Lingua necdum poterāt confi-
 teri Christum, & iam digni facti erant
 mori pro Christo. Vix habebāt corpo-
 ra ad accipienda vulnera, & habebant
 tamen, quibus pro Christo paterentur.
 O quam foelix fuit natalis dies eorum,
 in quorum primo ingressu in hanc ca-
 ducam vitam mox occurrit æterna
 vita. Non erant adhuc maturi ad mor-
 tem, & foeliciter moriuntur ad vitam.
 Vix subierant cunas infantia, & iam
 ad coronas hominum robustorum
 peruenerunt. Abstracti è brachijs ma-
 trum, sed deportati in sinum Angelo-
 rum. Nihil tibi profuit, ô infoelix ty-
 ranne, crudelis feritas, martyres e-
 nim facere potuisti, at Christum inue-
 nire non valuisti, plus iuuiisti beatos
 infantulos tuo odio & ferocia, quàm
 iuuare potuisses amore & multo ser-
 uitio. Exuere voluisti Saluatorem
 regio solio, at non venerat ille, ut a-
 lienam vsurparet gloriam, sed potius
 vsuam alijs impertiret, non ut re-
 gum terrenum inuaderet, sed ut
 nos

nos cælesti regno donaret; Non
ad dominandum alijs, aut ad caput
pretioso diademate ornandum, sed
toleranda opprobria, iniurias, crucem
& ad caput suum coronæ spineæ sub
ciendum.

8. EXPENDE hic quantum fer
cia illa & malitia Herodis dulcissim
cor IESU pupugerit, cum immanis
bellua tanto odio arderet in Salvatore
vt ad ipsum solum è medio tollendi
tantum infantium numerum morti
addixerit. Quod quidem sine special
sapientiæ diuinæ prouidentia factum
non est, vt nimirum puerulus IESVS
iam tum mortificationem crucis in pe
ctore ferens, in sui ortus initijs, socios
haberet hos infantes sua causa trucidan
tos, typum & symbolum futuri status
sanctorum Martyrum. Sicut & deceptio
Herodis in occidendis infantibus, ty
pus fuit deceptionis Tyrannorum in
occidendis martyribus. Vt enim He
rodes, non læsit pueros, quos occidit,
sed coronauit: multo autem minùs cõ
secutus est, quod quæsiuit; sic impij
Tyranni sua persecutione martyribus
non nocuerunt, sed coronam auxerunt,
& religionem Christianam, quam sua
crudelitate extinguere moliebantur,
magis

CH
magis illu
9. POS
gelus iter
mortem
uit, vt vna
diret in te
Dei prou
persecutio
num eoru
re auxiliu
Plurimu
seph cu
corrobor
reditu lo
quàm in
ro IESV
diusculo,
plus à ma
teneram p
conficere
mea, nec p
tione affli
que tener
ter alteri,
cissim in
tur, sic a
fuisse cru
lectulus e
quando c
nam ex co

magis illustrarunt & amplificarunt.
 9. POST septem annos exactos an-
 gelus iterum apparuit Iosepho, ei que
 mortem Herodis patefecit, ac manda-
 uit, vt vnà cum B. Virgine, & puero re-
 dired in terram Iſrahel. Vbi considera,
 Dei prouidentiam erga suos, in medio
 persecutionum, exiliorum, & afflictio-
 num eorum recordantis, & suo tempo-
 re auxilium præbentis & consolantis.
 Plurimum hoc nouo nuncio bonus Io-
 seph, cum B. Virgine recreatus est &
 corroboratus, sed itineris labor in hoc
 reditu longè maior & difficilior fuit,
 quàm in priore aduentu, in primis pue-
 ro IESV, qui, vt corpore iam gran-
 diusculo, nec poterat commode am-
 plius à matre deportari, nec per etatem
 teneram poterat ipse tam longum iter
 conficere. Compatere itaque anima
 mea, nec parce lachrymis in considera-
 tione afflictionis tui dilecti Iesu, eius-
 que teneræ Matris, & aduerte sicut al-
 ter alteri, mater filio, & filius matri vi-
 cissim in laboribus illis compatiaban-
 tur, sic ambos duplici cruce pro nobis
 fuisse crucifixos. O anima mea, vtinam
 lectulus esse potuisses fatigati IESV,
 quando cogeatur iacere in terra: uti-
 nam ex corde tuo igne caritatis potuif-
 ses

ses conficere panem in cibum filii
matris, quando in desertis locis
ad comedendum inueniebant; vti
lachrymarum tuarum abundantia
tuis vtrique porrigere pro refecti-
orio haustum aquæ recentis frigida
ardentem eorum sitim restinguere
Ad minimum, cum videas eos
lassitudine in summo æstu humi-
re, nec habere umbraculum vllum
se operiant vel defendant, extende
dilatata versus illos, quantum potes,
caritatis & compassionis viscera, & si
liud non potes, vt minimum offer
lis, umbram compatiendi, & verum
perfectumque propositum illis ser-
uendi.

10. VT denique in Iudæam perue-
nerunt, non ibi Christus Iesus verus
Dauidis hæres in Regem coronatus
fuit, sed rursus coactus est in partes
Galilææ defugere, secundum admoni-
tionem ab angelo factam Iosepho, eo
quod loco defuncto Herodis regnum
Iudææ obtinisset filius eius Arche-
laus paternæ crudelitatis hæres. Heu
dulcis Iesu, quàm verum est, quod scrip-
tum est per Prophetam, *te in caritate
perpetua dilexisse nos.* nam tota vita tua
à primo momento natiuitatis tuæ vsq;
ad

Jerem. 31.

ad extremum spiritum redditū in cruce nō aliud fuit, quā perpetuū quoddam Pati pro nobis. Nondum erat facta crux, & tamen inde ab incunabulis acerbitatem fructuum eius probare cœpisti: nondum crudeles illi ministri præbuerant myrrinam & fel, & iam cum lacte materno eorum amaritudinem degustasti; Nam quid aliud fuit paupertas & vilitas præsepis, circuncisionis dolor, Herodis persecutio; exilium Ægyptium, lassitudo itineris, denique timores, afflictiones, & lachrymæ tuæ dilectæ matris, quæ crux quædam toties repetita, ac fel pientissimo cordi tuo porrectum? O anima mea, si viscera caritatis in te sunt, ne amplius ingrata sis erga illum, qui te tantopere amavit; ne peccatis novas cumules pegas ei, qui tanta pro te pati voluit.

COLLOQVIVM.

ORABIS Christum Dominum, ut, quoniam in tam tenera ætate pro te pati cœpit persecutiones & exilia, permittitque ut sua causa innocentes pueri tam crudeliter enecarentur, tibi quoque largiatur gratiam eandem atque etiam mortem ipsam, si opus

G 2 esset,

esset, sui amore fortiter perferendi, & aduersitates quoque prosperitates & aduersitates huius mundi contemnendi, ut cum socius fueris eius passionum, socius etiam fias consolationum. Et sicut ille in Ægypto reuocatus, voluit redire in terram Israhel, sic te aliquando ex huius tenebrosæ peregrinationis Ægypto uocare velit, & secū in veram promotionis terram, nempe celestem patriam deducere.

DOCUMENTA.

1. **I**OSEPH monitus ab Angelo de fugâ in Ægyptum, licet res adhuc longius abesset à periculo, mox nulla interposita mora nocte surrexit, & cum Matre ac puero in viam se dedit. Quo in factis religiosi præclarum exemplum habent, & promptitudinis, quam debent ostendere in persciendis Superiorum suorum mandatis, & simplicitatis iudicij, ne velint occupare in dijudicanda superiorum voluntate, rectè ne, an secus, hoc vel illud mandarint.

Escl. 2.

2. Christus simulatq; natus est cepit pati persecutiones & exilia. Vnde discimus, nos conuenienter dicto sapientis, ab initio vita nostra debere paratos esse ad

tentatio.

rijs afflic

parabile

latione

3. Chri

in Ægypt

non resist

etiam de

tius eoru

rare; & p

uti nos C

4. Chri

git persec

meret, se

storibus

quando o

ria, & p

patientu

minus ip

5. Fuga

nificat q

riculo pe

penitenti

usq; ad o

cessent in

animi su

6. Chri

tem cont

sic Chri

stum, cog

ten-

tentationem; nec turbari, si quando varijs afflictionibus agitemur: scientes inseparabilem virtutum comitem esse tribulationes.

3. Christus ab Herode persecutus fugit in Ægyptum, ut daret nobis exemplum non resistendi persecutoribus, aut vindictam de ijs sumendi: Debemus enim potius eorum persecutiones patienter tolerare; & furori eorum cedere, imò pro eis, uti nos Christus ipse docuit, orare.

4. Christus caput nostrum & Pastor fugit persecutionem Herodis, non quod timeret, sed ut exemplum Prælati & Pastoribus daret fugiendi persecutiones, si quando eorum salus est Ecclesia necessaria, & subditi ex eorum absentia nullū patiantur detrimentum: id enim & Dominus ipse Apostolis consuluit.

5. Fuga quoq; Christi in Ægyptum significat quemadmodum homo iustus a periculo peccati, confugere debeat ad statū penitentia, in quo perseverandum ei est usq; ad obitum Herodis, hoc est, donec cessent impugnationes inimici, & affectus animi sint mortificati.

6. Christus ab exordio vita usq; ad mortem continenter passus est persecutiones, sic Christianus, qui vult imitari Christum, cogitare debet, totam vitam suam

G 3. de-

*Iob 7.**2. Tim. 3.*

debere esse continuā tentationem, sicut
dicitur patientissimi Iob. Tentatio
est vita hominis super terram. Et Ap
stoli. Omnes qui piē viuere volunt
Christo Iesu persecutionem patienter
7. Qui opere vel consilio conantur in
pedire aliquod bonum opus, similes sunt
Ægyptijs, qui curarunt occidi omnes in
fantes populi Israhelici: imō cum Herodes
depersequuntur Christum, ut eum occi
dant in ipsa natiuitate.

2. Ioseph ex Ægypto reuersus in terram
Israhel, etiam si sciret Deum esse prote
ctorem pueri Iesu, nec quenquam posse
nocere, tamen metu Archelai, Herodis
filij, noluit redire in Iudaam. Vnde dis
cimus homines iustos, quantumuis sancti
sunt, & de sua in virtute constantia &
salute securos, non debere se obijcere
periculis, & Deum tentare, sed debere se
gere omnes occasiones, qui eos in peri
culum peccati aliamue tenta
tionem conijcere
possent.

QVO



B.
PVE

AMI

I

ME

E



suetudi

risque

fit puer

cognou

manten

tatu, ve

bant eu

Et non

Ierusal

stum e

illum i